

Letter 336: 1 August 1527, Worms, Hans Schweintzer to Capito

Printed in QGT VII, pp. 123-5.

Insigni pietate viro V. Fab. Capitoni, domino et fratri suo charissimo, Straszburk.

S.D. Revocor Argentinam mirabiliter iam. Idque, ut opinor, non citra Dei consilium. Me enim nihil tale somniantem, accedit eruditus ille simul et pius vir Gerardus Noviomagus et talia pronunciat: “Utinam tu, inquit, eius esses animi cuius ego sum; hic enim delitescas, neminique prosum. Vellem nos esse in loco convenienti, ubi uterque opera manuarum victum acquireret et amictum. Si quid Dominus adiiceret nobis, illud fratribus impartendum foret; posses enim tu arte tua, ego vero correctura (inquit) aut si quo modo me ad alia instrueres, talia praestare.” Annui ego lubens neque parvo gaudio perfusus, ut cum tali viro vita degenda foret et redeundi Argenteratorum esset honesta ratio. Sumpsimus itaque consilium, et ut ad rem perficiendam aliquid esset aeris, descendimus ad inferiorem Germaniam: ibi nonnihil obtinuimus et ad conatum hunc nostrum, ad huc omnia bene conveniunt. Iam migratio ista ad vos ante nundinas Francofordenses fieri non poterit, neque mihi propter prelum, ad quod hic compono, ulla datur abitio, alias ipse venirem, ad domum nobis conducendam, quae utrunque cum uxoribus nostris caperet. Sed cum te habeam, qui mihi semper faves, puto satis fore, si sic consilium nostrum literis indicavero et, quid te in hac re facere velim, ostendam. Nempe ut per famulum aut uxoris tuae cognatum aliquem de eiusmodi domo prospiciatur, ut ad Michaelis diem ingredi liceat; illud enim, ut opinor, est tempus huiusmodi conductus; hacque hyeme parabimus singula, Deo favente, ut ad nundinas quadragesimales aliquas primitias nostri seminis videamus carpere. In qua re te ita habeo paratum, ut iam in utranque aurem dormire liceat, scio, responsique tui expectator ero. Vale cum omnibus tuis, quos omnes saluere iubeo. Salutatur te tuamque uxor mea.

Wormatiae ex typographia Petri Schöffers, prima Augusti anno etc., XXVII.

Totus tuus Ioannes Suinzer.

Concionatoribus nostris, dum nos essemus Antuerpiae, interdictae sunt cancellae, simulque urbe pulsus, propter dissonantiam Verbi; unus, qui fuerat parochus S. Magni, detinetur Moguntiae captus. Dominus bene omnia vertat.